



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvvm Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

47. Lioba dum inter horrendas blasphemiarum tentationes videtur sibi ex vna parte ijs consentire, ex altera verò repugnare eisdem, iudicanda est in hoc casu non peccare.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

injunctione falsarum & vanarum circumstantiarum, ex euanido sæpe effectu haud difficulter deprehenditur, vt reverà magna valde ignorantia & simplicitas hominis esse debeat, qui ex tali vngue infernalem Leonem non dignoscat.

XLVII. *Lioba nobilis virgo videtur sibi ex vana parte assiduò irasci contra Deum, aliosque Sanctos, odio hos prosequi, blasphemare, imò pedibus illos velle terere, acubus pungere, cultris scindere, in fœdissimos locos abijcere &c. Atque hæc advenit non solum in imaginatione hærerè, sed ad cor, animumque pertinere: ex altera verò parte videtur sibi cupere omnia opposita, velle prædictis omnibus assensum negare, non tamen posse, ideòque vehementer inde discutiatur. Quæritur. Quid de his in confessione dictis iudicet Confessarius?*

Videtur peccare, & quidem gravissimè. Tum quia assensum dat in obiecta longè pessima, hoc ipso, quod ista ad cor, animumque pertinent, per assensum scilicet voluntatis. Tum quia agit contra conscientiam, quâ agnoscit, illa non facienda esse.

Resp. Confessarium iudicare debere, *Liobam* in hoc casu non peccare. Ita Baldellus in Disputationibus ex Theologia Morali L. 4. D. 4. n. 2. Ratio est, quia *Lioba* in prædictis omnibus non est libera, sed ex nimia intentione, & efficacitate phantasmatum depravatorum, quæ nimis importunè se ingerunt,

ita perturbatæ rationis, vt libertas subsistere nequeat; quod planè ex eo conijcitur, quod dicat, non posse se cogitationes abijcere, & assensum negare. Si ergo non potest non agere, liberè non agit; neque hoc mirum, cum enim intellectus in hac vita dependeat à sensibus & phantasmatis, his corruptis, aut viciatis, necesse est, etiam ipsum quoad suas operationes marcescere.

Ad *primum* in contrarium dicimus, assensum illum non esse liberum, vt proinde malus esse moraliter nequeat; esto tendat in obiectum pessimum. Ad *secundum*. Non sufficere ad peccatum, quod quis agat contra conscientiam, sed insuper requiri, & supponi libertatem & potentiam in oppositum, vt bene cit. Author ex communi aliorum; id quod in proposito non habetur.

XLVIII. *Magistratus Ciuitatis Staguensis egemfert, ne quis ciuium & subditorum ex cellis priuilegiatis vnicam mensuram vini emat sub multa s. imperialium. Queritur. Vtrum lex ista obliget sub peccato?*

Videtur obligare in conscientia. Ita Bonac. de leg. D. 1. Q. 1. pun. 7. § 2. n. 1. vbi alios allegat. Ratio est, quia de ratione legis & præcepti est, inducere obligationem.

Resp. Prædictam legem non obligare sub peccato. Ita ex communi Laym. L. 1. Tr. 4. c. 15. n. 1. & 2. Ratio est, quia potest Magistratus